

Vlrico¹⁾ priore, Rapoldo de Mense,²⁾ Fridrico Tumsinger³⁾ de Gersten, Vlrico Hinderholzer de Glaunkch,⁴⁾ fratribus ordinis sancti Benedicti. Nicolao de sancto Floriano, regulari canonico, Johanne de Pehemberg,⁵⁾ Johanne de Chemnaten,⁶⁾ Johanne de Munster,⁷⁾ plebanis, Martino vicario in Gmu[nden], Pataviensis diocesis et pluribus aliis fide dignis testibus, presens interfui, ea, ut premittitur fieri (fiei. Prandtner hat dieses Wort weggelassen) vidi et audivi, propria manu me subscripsi signoque meo solito et consueto signavi rogatus et requisitus in testimonium omnium premissorum.

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae

et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. III. h. ai. pg. 232—239.)

E novis Gallicis: Hispani, qui hactenus prope Niza et Villafranca cum Infante Hispanico Don Philippo irrumpere tentarunt in Pedemontium, Mediolanum, Parmam et Placentiam per provinciam et vallem Barcelonitanam pergentes tandem 2. Septembris in Sabaudiam irruperunt contributiones et subjectionem totius Ducatus exigentes, quae causa fuit ut Rex Sardiniae reditum celerrimum cum suo exercitu pararet, subventurus Sabaudiae. Item scriptum fuit ex Toulon, et quod sub hac irruptione Hispanorum in Sabaudiam lateat mysterium. Berolino scriptum 4. Septembris, quod Rex Porussiae etiam ceperit nostrae Reginae Jaegerndorf.

Vienna scriptum ex iisdem novis Gallicis, nostrum Comitem de Königsek convenisse cum Mareschallo Bellislio Gallo in hunc modum, ut omnes Galli (excepto ipso Bellislio et Broglio, se nobis dedant captivos, eosque duos convivantes in tabula inter tormenta bellica, tum Gallica, tum nostra Austriaca, et quod Bellisle hanc propositionem rejecerit, dicens, se cum suis malle perire, quam tam ignominiosam acceptare conditionem, et quod post discessum utriusque rursus tormentorum explo-

¹⁾ Wahrscheinlich Prior Ulrich von Kremsmünster. Er wird beurkundet in der Verbrüderungsurkunde des Stiftes Seckau mit Kremsmünster dd. Seckau 13. Jänner 1372. Vergl. Urkundenbuch des Landes ob der Enns VIII. 630.

²⁾ Mondsee.

³⁾ Wohl identisch mit jenem Friederich, der im Auftrage des Abtes Eberhard die Annalen fortsetzte und als Pfarrer von Steyr zum Bischofe nach Passau gesandt wurde, um die Wahlbestätigung des neuerwählten Abtes Nicolaus I einzuholen. Vergl. Friess I. c. pg. 21 u. 22.

⁴⁾ Gleink.

⁵⁾ Behamberg bei Steyr.

⁶⁾ Kematen bei Kremsmünster

⁷⁾ Altmünster bei Gmunden.

omnibus acriter sit dimicatum. Item quod Galli studiosos Pragenses, servos aliosque id genus homines numero 18000 adhibeant, et collocent ante se, dum errumpunt, ut sic sibi parcant, simulque ut cives in officio contineant. Ecce! novam calliditatem Gallicam et miseriam Pragensium. Item Comes de Sekendorf, qui duxit Bavaricas et Palatinas copias, se conjunxit cum Gallis e Dekendorf per pontes in hanc Danubii ripam clam transeuntibus. Copiae Bavaricae a nostris Ungaris et Germanis numero 1100, ut scribit Sekendorf Duci Bavariae, in posteriori agmine invasae sunt et repulsae, e nostris tum occisi tum vulnerati 100, et capti aliqui officiales, contra e Bavaris tantum 3 vel 4 occisi, quibusdam vulneratis. Ita Sekendorf scribit: at in novis Viennensibus haec relata sunt: Menzlius noster e copiis Bavaricis posterioribus, quas aggressus est, occidit Generalem de Schön, Obristwachtmeister, et 2 Hauptleut, et 200 gregarios, captivavit autem den Obristen de Spinola, cum aliis 69 et uno Wachtmeister. E nostris occisi 8, equi 9, cum duobus hominibus vulneratis, amissi vero seu perditii 19 equi, item recuperati e nostris desertoribus 22, inter quos et unus Hussarus. Parisiis scriptum 7. Septembris, Mareschallum Broglio e Praga erupisse et nostrorum Austriacorum amissa in hac eruptione 5000 (quod falsum esse constat e novis Viennensibus) Gallos vero 1500. Item quod noster Princeps Carolus 400 rusticos jusserit venire ad sepeliendos nostros mortuos propterea, ne nostri milites visa tanta occisorum multitudine terrentur. Ita Galli temere, ut creditur, sparsere, et omnia sua pro more gentis in majus augent.

Post discessum nostri exercitus ab urbe Praga Galli fossas nostras et Batterias seu aggeres implent ac terrae aequant, simulque de die vigiles extra urbem collocant, et nocte intra urbem recipiunt. Nostri vero sub Festetiz hostem undique observant. Khevenhillerus noster e Monasterio Oberaltaich versus Palatinatum superiorem cum exercitu movet, cum reliquo nostro exercitu se conjuncturus. Nostri milites, qui erant in obsidione Pragensi, iam in Pilsen veniunt, ultra pergentes ad Palatinatum superiorem, interim gravia tormenta in Budweis transferuntur, et antequam Praga abierunt, variam suppellectilem obsidioni aptam ipsimet ignibus absumserunt.

E novis Viennensibus: Sueci ab exereitu Russico apud Helsingfors inclusi capitulationem ineunt cum Russis, ut sibi liceret cum toto suo exercitu per mare transire in Sueciam, quod etiam iis concessum fuit, idque factum 24. Augusti stilo veteri, i. e. 4. Septembris. Ita Sueci, qui primi violarunt pacem Nistadensem, victi et puniti totum Principatum Finlandiae Russis cepere. Hic exitus miser eorum, qui se passi sunt a Gallis excitari ad inferendum Russis bellum. Sueci et Finlandi timebant multum Russos, uti ex litteris interceptis et publicatis constat.

1. Octobris. Iter feci cum nostro P. Martino ad Monasterium Gottwicense, ad quod diu multumque antea a Rmo D. Abbate Godefrido invitatus fui, in eoque biduo mansi, omni humanitate et charitate ibi habitus. Legendos ibi mihi dedit, quos diu promiserat D. Abbas 4 Codices

Mss. traditionum Monasteriorum Laurisheimensis, Tegernseensis, S. Petri Salisburgensis, et Nideraltahensis, inter quos mihi plurimum placuit Nideraltahensis eo, quod fere ubique notas chronicas appositas habuerit, erantque in eo omnis generis Chartae usque ad saeculum XIV pertingentes, et res Austriacas antiquiores magnopere illustrantes; neque tamen ausus sum petere, ut mihi daret facultatem exscribendi, eo quod sciebam, Abbatem esse difficilem in communicando. Postea viso et culto corpore S. Altmanni, Episcopi Passaviensis, et Fundatoris Monasterii Gottwicensis, etiam legendum mihi datum est diploma foundationis factae a S. Altmanno originarium, pulcherrima in cista inclusum, qua de re plurimum laetatus sum, vidi quoque anulum ipsius Episcopalem, eidem arcae inclusum. Donavit mihi quoque D. Abbas lucernam nocturnam miro opere fabrefactam. Vidi quoque inclusas omnis generis mirandas antiquitates et praesertim nummos bracteos quam plurimos, et aevi medii argenteos plerosque variorum Imperatorum et Episcoporum; aliquos vero Consulares et Imperiales P. Martinus accurate lustravit. Voluit nos diutius apud se retinere; sed voluimus ad festum S. Placidi M. imminens in nostro Monasterio esse. In reditu per S. Hippolytum, quo nos duci curavit D. Abbas curru, obviavit nobis ingens curruum Hungaricorum numerus, farinam pro nostro exercitu in Ips ducentium, unde per aquam in Bavariam et Palatinatum superiorem alterius devecta est. Hungari multas sepes agrorum evulserunt, quas nocte, cum in campis semper pernoctarent, pro coctione et calefactione usserunt. Item evelebant hominibus nostris olus, rapas et crocum, et prohibentes se ferociter invasere. In primo prandio Gottwici adfuit P. Peikhart Jesuita Cathedralis concionator celeberrimus Viennae, qui multa de Reginae nostrae equitatione aliisque ad eam pertinentibus nobis narravit in mensa, praesertim quod quidam vir illustris Reginae dixerit equitationem magis promovere ipsius obesitatem, ad quam tollendam tamen a medicis Reginae suasus sit hic motus gravis, siquidem ex hac gravi agitatione corporis oritur major fames, ac consequenter plus ciborum et potus sumendum, atque ita plane contrarium remedium a medicis suggestum Reginae. Item quod Regina frequenter, et quidem fere in modum virorum equitet, et ejus foeminae curiales, quod et ipsi P. Peikhart, et mihi non probatur.

Rex Porruissiae, qui Aquisgranum superioribus diebus abiit, post modicam ibi moram ut privatus Princeps versatus, Berolinum salvus rediit.

E novis Viennensibus: Dux De Montemar, exercitus Hispanici in Italia ductor, revocatur in Hispaniam, cujus in locum subrogatur Marchio de Garges, qui dispersas copias Hispanicas in unum colligit; peditatus tantum 13000 et equitatus 20000 constabat. Exercitus Hannoveranus una cum Hessis numero 6000 in Belgium pergunt, iubente Rege Angliae, eorum Duce Electorali. Noster exercitus Bohemicus apud Plan castra metatus est, volens hostem prolicere ad pugnam, qui tamen noluit exire

e castris suis fortissime munitis. Ex quo exercitus noster abiit Praga, nihil usque ad 12. Octobris in novis Viennensibus relatum est, nisi quod multi Hungari liberi, et Croatiae domum redierint, hyemem domi acturi. Item quod Warasdinenses numero 1500 e Bavarico exercitu sub D. de Bernklau itidem in patriam suam discesserint. Ferunt Reginam singulis Hungaris e Bohemia discedentibus dedisse 2 fl. ut redirent. E Gallicis novis Mediolano scriptum: Hispanis usque ad S. Joannem de Maurienne in Sabaudia penetrantibus, senatus urbis Chambery cum Archivis suis Genevam, interim Rex Sardiniae ex omni parte milites ad tuendam Sabaudiam mittit. Chambery urbs capitur. Sabaudia se dedit Hispanis. 14. Octobris nostri Religiosi ad vindemias abiere.

Carolus VII. apportante nova Friderico Principe Bipontano, quod nostri Austriaci maxima ex parte obsidionem Pragensem sustulerint (quae die praecedente 29. per alium cum praecedentibus 12 postilionibus iam Francofurtum allata fuere) Te Deum laudamus propterea egit. Galli quoque Praga noctu egressi usque Melnik veniunt, ibidemque nostrum praesidium Austriacum constans ex 33 Hussaris et uno Officier captivant, ob quod ingens iubilus apud Bavaros. Sueci cum suo exercitu inglorii redeunt in Sueciam. Galli in confiniis nostrorum capiunt 500, aliis multis occisis, ut scribitur Amberga.

15ta Octobris locutus fui cuidam Jesuitae Magistro Passavio venienti, qui mihi confirmabit, quod ante sparsum apud nos fuit, et mihi plane non credibile visum est, nimirum Dekendorfenses Bavaros multos e nostris Izaikistis, inter quos et Capitaneus eorum in publica processione, in festo S. Michaelis in Dekendorf habita, foedissime occidisse. Item quod Landshutensis praesidium nostrum pariter furiose trucidarint, cum nostri sese illis ut captivos tradere voluissent. Item quod in vindictam ejus Baro de Trenk cum Banduris iam Passavium redierit.

E novis Viennensibus, quod Galli Pragenses usque in circulum Sazensem excurrerint, ad quos reprimendos a nostro exercitu 4 legiones cum 300 Bohemis et 300 venatoribus missi sunt. Item quod 5. Octobris Galli in Palatinatu superiori existentes, cum suo exercitu sua castra sublatis tentoriis deseruerint. Item quod Bavaricus exercitus contra nostrum sub duce de Bernklau magno ardore pergat, et ab exercitu Bohemico in auxilium nostrorum missae sint 2 legiones et 4 cohortes cataphractarum. Nostri ex Plan abeuntes castra in Töpla locant. Menzlius cum Hussaris suis Gallos saepius invadit, caesis quibusdam, eorum 100 capit. Die 19. Octobris venit ad nos mercator Waldmüllner, qui narravit Domino Abbati nostro, quod Sekendorf, dux exercitus Bavarici, Monachium in Bavaria occupavit, et quod noster Bernklau cum suis Passavium se receperit abductis a Monachio obsidibus tum laicis tum ecclesiasticis. Sueci nova comitia regni celebrant ob metum Russorum, qui ipsis totam Finlandiam eriperunt. Baro de Ehrthal, legatus Electoris Moguntini, 14. Octobris audientiam habuit apud Reginam nostram, tempus dabit, cur advenerit.

Augusta in novis Viennensibus scriptum, nostros Austriacos Monachium paulo post diem 4. Octobris deseruisse, et a Bavaris occupatum fuisse, Galli in Bohemia cum 15000, quae prima pars eorum exercitus fuit, civitatem Ellenbogen, in qua nostri Warasdinenses numero 4000 in praesidio erant; capiunt per capitulationem, et nostris abitum cum omni honore permisere. E Norimberga tamen scriptum, multos e nostris in hac urbe Ellenbogen factos captivos, atque ita circulum Bohemicum occupant, inde per Carlsbad ulterius in Bohemia pergentes. Noster exercitus, munitus in civitate Saz, hostes expectat, ut opinor, cum illis bellum commissurus. In Plan, civitate Bohemiae, pertinente ad Comitem de Zinzendorf, Galli 300 nostros milites praesidiarios, uti D. Comitissa ejus mater mihi narravit, captivos faciunt, quamvis praemoniti fuerint, hostes adventuros. Bavari (nostro exercitu Bavarico sub Comite de Kevenhiller maximam partem in Bohemiam ad magnum nostrum exercitum abeunte, cum Baro de Bernklau cum exiguo numero relictus esset in Bavaria) praeter Monachium etiam Landshutam, Landavium Burghausen aliaque loca occupant, et noster Bernklau auxiliares copias exspectat, quas etiam e Bohemia et Austria accipit.

I. Die Novembris Vienna demum allata sunt nostra nova Gallica, quorum iam partes fere 7 vel octo e superiore Posta nobis emanerant, ubi et nostris confratribus nova Ratisponensia et Hannoviensia. Causam hujus emansionis certam hactenus rescire non licuit, et conieci id a nostris militibus, vel iussu aulae esse factum, ne mala nova in Austriam importarentur, cum Bavari in Bavaria sub Sekendorffio duce plurima loca nostris militibus inde vel ejectis occisis et captis vel sponte fugientibus iterum receperint. Similiter in novis Viennensibus altum silentium de nostris militibus in Bavaria existentibus, et statu nostrorum a tempore, quo Khevenhiller cum potiori exercitus nostri parte in Bohemiam abire iussus est ad Carolum Principem Lotharingiae, quae omnia argumento erant, cum nostris male agi, tum in Bavaria, tum in Bohemia.

Intra 28. Octobris et primam Novembris omnes vaccae nostrae cum aliquot bobus in villa nostra perierunt, causa ejus rei haud satis comperta. Similiter fama est in Zvetl, Furt, Tulln, Pulkau, aliisque multis Austriae locis vaccas morbo periisse. Nos sacerdotes ad avertendum majus damnum collectam in Missa contra pestem animalium sumere iussi sumus. Postea etiam eadem lues multas oppidanorum nostrorum Mellicensium vaccas abstulit. Unde 12. Novembris ex ordinatione P. Prioris nostri Processio Parochianorum Mellicensium ad S. Colomannum instituta est, et ab eodem summa Missa apud Altare laudati S. Patroni nostri celebrata, jussique sunt singuli Parochiani oblationes in propria persona facere, et si nummos non haberent, panem offerent, quae omnia postea sunt pauperibus distributa; 15 fl. et aliquot cruciferi oblati fuere. Post hanc Processionem tamen multis nostris Parochianis tum in oppido nostro tum in Prichl aliisque locis pecora sua, praesertim vaccae et boves perierunt, quorundam autem salva servata fuerunt. Viennae ingens

murmur et vix non species rebellionis adversus Magnum Ducem Hetruriae, quod tanto tempore in exercitu nostro Bohemico haereret, et tantam pecuniarum summam frustra et sine effectu consumeret. Item Regina nostra adhuc pergit equitare et habere ludum militarem, dictum Caroussel, quod multi in ea tantquam femina improbarunt. Nostri Mellicenses e vindemiis rediere, partim 30. partim 31. Octobris. Vindemia in montanis utemque bona fuit in Mödling, Pfaffstetten, Guntramstorf, Baaden et Gainfarn. In Radendorf vero valde bona, in vicinia Monasterii vero, tam eis quam trans Danubium valde tenuis et vilis.

E novis Gallicis N. CLXVII et VIII. (priora enim ad me ex causa supra memorata non pervenere) Aulam Parisiensem multum gavisam ob solutam obsidionem Pragensem, et optime contentam de forti defensione hujus urbis a Gallis facta, multas tamen illustres familias pullo habitu dolere suorum necem et interitum. Item Regem Hispaniarum adhuc 16 Bataillons filio suo Philippo misisse in auxilium contra Regem Sardiniae, qui cum 16000 suorum et multis millibus Waldensium contra Hispanos pergit, suam Sabaudiam ab illis occupatam recuperaturus. Düsseldorfio scriptum: ingentem laetitiam apud Palatinum Ducem ejusque subditos ortam ob felices progressus militum Palatinorum in Bavaria, et Duci Bavariae junctorum ex foedere, et majores in dies sperari ex insigni fortitudine et dexteritate Comitis de Sekendorf, ducis exercitus exigui Bavarici. Homo hic Lutheranus est, ab Aula nostra Austriaca dimissus, et mirum, Ducem Bavariae hunc suis militibus praefecisse. 16. Octobris, Ordines Berg et Juliacenses homagium praestitere Principi de Sulzbach Düsseldorfii, contra quod vehementer protestatus est in scriptis Hagae Comitum Dux Elector Saxoniae. In Suecia totus exercitus redit Stokolmum cum ingenti confusione et dedecore, Russis relicta tota Finlandia, et dux exercitus Suevici Lewenhaupt et Generalis Roddenbronk includuntur incerta domo, subituri grave examen et iudicium ob rem male gestam in Finlandia. Galli Pragenses libere egressi versus fines Saxoniae undique victualia comportant, et Pragam convehunt. Sex familiae Comitum in Saxoniam fugiunt securitatis causa, metuentes Reginae nostrae iudicium. Dresdena, unde haec scripta sunt etiam memoratur, Bohemos esse pessime contentos cum Austriacis nostris, a quibus inhumane tractantur, cum contra a Gallis humanius habeantur, et minari rebellionem contra Reginam nostram. Id quod credo, cum Regina nostra ad Bohemos edictum promulgari iusserit, quo eos dehortatur, ne Gallorum convitiis et humanitati credant, quod edictum publicatum fuit in novis Viennensibus. Berolino scriptum Cardinalem de Sinzendorf vicarium in omnibus terris suis a Rege Porussiae constitutum quoad religionem, eumque hoc officium incepisse in Silesia et prohibuisse, ne quis alterum haereticum dicat, et pro tali habeat, quod aegre credam. Item Reginam nostram per conventionem specialem Regi Porussiae Silesiam absque omni restrictione cæssisse. Parisiis scriptum, a Rege Franciae Generalem de Broglio Generalissimum militum suorum in Bohemia declaratum fuisse. Item post abitum nostri exercitus ab urbe

Pragensi a Gallis inventa in campo nostro relicto 25000 globorum et 3000 Bomben geladene, aliaque bellica instrumenta. E Lewarden in Belgio foederato scriptum, Ducem Bavariae Statibus Hollandiae obtulisse declarationem factam in Comitibus Imperii, qua offert pacem se initurum cum Regina nostra sub mediatione multarum potentiârum, ad quam etiam invitati fuere Hollandi. Francofurto scriptum, Comitem de S. Germano Duci Bavariae militantem oppidum Rosenheim in Bavaria nostris Austriacis eripuisse, uno Corporal et 15 vel 20 Hussaris nostris captis, quibusdam occisis et 20 equis eorum captis.

E novis Viennensibus: Hispani in Italia a nostris fugati redeunt cum 15000 et aliquot tormentis bellicis in Ducatum Bononiensem, quos nostri ad fluvium Banora expectantes parant iterum repellere, ne in Lombardiam intrent. Rex Sardiniae suo adventu Hispanos ex Sabaudia fugat abeuntes in Delphinatum. Apud Bruxellas in Brabantia turmae primae Hannoveranae adveniunt 14. Octobris, quos sequuntur altera die 6000 Hessi, et reliqui expectantur adventuri. Totus exercitus Regis Angliae constat ex Anglis, Hannoveranis, Hassis et nostris Austriaco Belgicis 60000 militibus, absque Hussaris et liberis cohortibus. E Budweis in Bohemia scriptum, primas turmas Gallicas in districtum Bareytensem abiisse, et reliquas versus Amberg in Palatinatu superiori. Nostri itaque se dividunt, et pars sub Principe Lobkowiz in Bohemia remanere iubetur, pars in Palatinatum superiorem vadit, itura in Bavariam, et Capitaneus Menzl in Passaviensem urbem cum 3000 adventurus nuntiatur, et revera 31. Octobris eo advenit, cum prius a Stadt am Hof trans Ratisbonam contributionem cum obsidibus exegisset. Bernklau in Schärding et ejus vicinia subsistit, ad quem omnes copiae e Bohemia et Austria venientes eunt contra Bavaros pugnaturi. Item in Austria superiori venatores et die Schützen undique conveniunt in confiniis Austriae et Bavariae, expectantes irruptionem Bavarorum. Item ab Aula nostra mandatam per Austriam inferiorem vulgatum, ut omnes hujus terrae venatores et die Schützen parati sint, cum jussi fuerint, in Austriam superiorem abire contra Bavaros. Nos Mellicenses iussi sumus dare 5 eorum.

Item una legio militum Hungaricorum pedestrium 1. Novembris et praecedentibus diebus Mellicium transiit, itura in Bavariam, vecta curribus propter nimiam celeritatem, ut cito in Bavariam veniret. Baro de Bernklau castra sua fortiter munit apud Scharding, 400 rustici Bavarici a nostris coguntur laborare pro fortificatione urbis Passau. Exercitus noster Bohemicus recedentes Gallos in Palatinatum insequitur, et impedit eorum conjunctionem cum Gallis Pragenses.

E novis Viennensibus: Hispani, qui in Sabaudiam irrupere, adventu Regis Sardiniae cesserunt Chambery, Conflani, Montmelian, aliaque loca et urbes Sabaudiae, et se recipiunt in locum Barreau munitum, jam situm in Delphinatu, ad quos longius pellendos Rex Sardiniae cum suis pergit, atque ita intra breve tempus Hispani ex Sabaudia fugiunt, idque factum in Octobri. Exercitus noster in Bohemia in Palatinatum irrupit, atque

per loca Rez, Neuburg, Roting, Michaels, Neukirchen, Ascha pergunt 1. Novembris, et ubique contributiones exigunt. Gallicus vero versus Schwandorf vadit. Nostri civitati Neuburg minantur incendium, ni solverit contributiones, quibus tamen datis obsidibus se submitunt. Sekendorfius, Bavarorum dux, versus Ingolstadium vadit, audito, quod nostri in Bavariam redierint. Princeps Lobkowiz cum suo exercitu in Mies, Sieherau, Monasterium Plas cursum dirigit, cum interim Galli Pragenses suas copias dispersas scilicet Pragae Leitmeritz, Melnik, Prandey et Königstal habuerint. Civitas Dekendorf, cujus incolae et cives 1 Hauptmann et aliquot Zaikistas nefarie et scandalose in processione habita in Ecclesia festo S. Michaelis peremerunt, (quod nunc aperte in novis Viennensibus dicitur) Baroni de Trenk ejusque Banduris se dedit facta comminatione eorum locum ut Chamb incendendum et spoliandum. Praesidium ejus, 400 se illi in discretionem tradidit ex necessitate. Noster exercitus magnam partem e Bohemia redux per Palatinatum superiorem iterum redit ad Monasterium Oberaltaich, ibique sibi das Hauptquartier, et apud Dekendorf Danubium trajicere parat. Gallicus vero in viciniam urbis Ratisbonensis rediisse dicitur. Exercitus vero noster in Bohemia Pragae appropinquans vicina urbis loca occupat, fugientibus Gallis in urbem, qui antea per varia loca circa Pragam erant dispersi.

15. Novembris festo S. Leopoldi sedentibus nobis ad mensam nuntiatum est P. Priori D. Obrist Menzl, Hussarorum et Rasciorum famigeratum ducem in nostro exercitu Bavarico, Mellicii advenisse; currus ad oppidum ei missus, quo vectus ad Monasterium venit et a P. Priore humanissime exceptus fuit, venire cum illo alii Officiales et famuli partim Hungari partim Germani. Venit Menzl ad claustrum et per ambitum a P. Priore comitatus, a nostris religiosis et speciatim etiam a me cupidissime visus. Incedebat autem splendide vestitus, pedibus aeger, ob quod thermas Austriacas adhibere proposuit. Habuit quoque in comitatu officialem militem Hungarum D. Franciscum Poll subcenturionem, ejusque sponsam, natione Bavaram, Elisabetham de Blanckin, qui rogante Menzlio statim post 12mam in Ecclesia apud Aram S. Colomanni solemniter copulati sunt a P. Priore coram duobus testibus, verum antea in Sacristia P. Priori iurare compulsi sunt, nullum inter eos impedimentum dirimens intercedere. Porro ante hunc actum ipse Menzl ad refectorium nostrum ductus fuit, et in medio sedens a nobis circumdatus est, bibentibus ejus sanitatem, quod ille perquam gratum habuit, et multa nobis quaerentibus narravit. Ipse quoque dixit, se natum Bohemum, sed educatum Lipsiae in Saxonia, ubi et in expeditione bellica in Bohemia habita, Regem Poloniae salutavit, conversus est ad fidem catholicam multis antea annis, ut mihi ipsi ea de re interroganti quidam ejus famulus narravit. Mansit in Monasterio cum comitatu suo per integrum diem, postera die Viennam per Postam profectus. Dixit, Comitum nostrum Khevenhiller dignum, qui auro vestiatur, Baronem vero de Bernklau et Carolum Palfi vituperavit apud P. Priorem. Cum auditus esset ejus adventus, mali quid vel boni augurati sumus, quod

medio bello e Bavaria huc venisset, sed causam dederat P. Priori, nimirum se resignasse et deposuisse suum officium et servitum, quodque maxime disgustatus ab exercitu abiisset, nec se amplius Reginae in hoc statu servituum. Dicebatur quoque in novis Hannoniensibus Menzlium ad nobilitatem evecum a Regina nostra, et futurum Generalem super 3000 Hussarorum. Post triduum ejusdem Menzli equi 62 hic transierunt, ad eum ejusque officiales pertinentes.

E novis Gallicis: Baro de Bernklau relicto Monachio, postquam Hungari et Croatae turmatim ab exercitu recessere domum abeuntes, 11. Octobris in Burghausen veniens cum 6000 militum, et hunc locum deserens, similiter et Braunau, Schardinga bene munita Passavium venit his de causis: ne ab auxiliariis copiis nostris e Bohemia venturis per hostem intercludatur, et Passavium utpote oportuissimum transitum in Bavariam Austriam et Bohemiam fortiter obtineret. In Burghausen 400 tum Hungari, tum Germani nostri a Bavaris militibus partim crudeliter trucidantur, partim se dedentes, numero 160 in captivos accipiuntur, reliqui pauci fugere. Iterum nostrorum equitum desultiorum 32 cum 20 bobus Bavari capiunt, praedas in Braunau 20000 fl. faciunt, hanc urbem eorum 3000 intrant et muniunt. Item in Straubing nostrorum captivos 38, qui erant in Veitach, abducunt, reliqui repugnantes caeduntur gladiis. Hungari nostri quoddam scriptum editum a quodam impressore in Stadt am Hof, contra Ratisbonam occasione capti a Bavaris Landshuti, quod iniuriosum esset Reginae nostrae et Generalibus ejus, per unum civitatis famulum, absente carnifice, publice jusserunt exuri. Item fama est 16000 Gallorum in Bavariam redituros in auxilium Comitis de Sekendorf. Vienna scriptum, Hungaros et Croatas per lamentabile scriptum Reginae se excusasse propter reditum suum, eo quod nimium essent delabré, et cum se refecerint sese redituros, in quorum defectum Palatinus Regni Comes de Palfi alios submittere parat. Item per Mellicum aliaque loca vicina Hungari relicto exercitu nostro in Bavariam veniunt, et domum redeunt, non tamen excessus committentes, et nil aliud nisi Tag et Fach petiere. Noster exercitus sub Comite Traun in Italia, redeuntibus Hispanis usque ad Ducatum Bononiensem, et adjunctis quibusdam Pedemontanis, hostem apud fluvium Panaro exspectant, et nituntur eos impedire a transitu ejus et ingressu in Lombardiam. Nam copiae Pedemontanae jussae sunt a Rege Sardiniae non ulterius progredi, cum ex foedere cum Regina nostra inito non teneri se diceret, nisi ad prohibendum Hispanos et Neapolitanos ab ingressu in Lombardiam. Hussari tamen nostri in Bononiensem agrum contra Hispanos hinc inde excurrunt. Nostri in Bavaria locum Hilkesperg per deditionem occupant, factis in ea arce praesidiariis 66 numero captivis belli, et Passavium deductis. Nostri quoque liberum habent Danubium usque ad ostium Isarae fluvii. Nostri in Bohemia sub Principe Lobkowiz Königssal occupant, uti et Brandeis et Melnik cum 1500 Croatis Carlstetensibus, interim Galli in urbem Pragensem confugiunt.

17. November. Dux Heturriae Franciscus Mellicio per Postam cum

4 in curru ejus sedentibus sociis itineris pergit, veniens a Bavarico exercitu et simul e Bohemia rediens inglorius ob solutam obsidionem Pragensem; tamen efficit cum nostro exercitu, ne Galli cum Duce suo Maillebois 20.000 militum cum Pragensibus Gallis se conjungere potuerint. Regina nostra Comitem Bathyani, Hungarum, Bannum Regni Croatiae creat, qui fuit Generalis equitatus Hungarici, etiam in hoc bello egregie de domo Austriaca meritus, 18. pariter Mellicii per Postam transit.

14. Novembris i. e. in vigilia festi S. Leopoldi Regina cum 2 Archiducissis, Maria Anna, et Magdalena reliquoque comitatu, pergit ad Monasterium Claustro-Neoburgense S. Leopoldum ibidem devote cultura. Ipso die festo hujus S. Austriae Patroni tota die, uti et postera usque ad prandium permansit, ad quod advenit Imperatrix Elisabetha, mater ejus, loci Praeposito Ernesto suas secundas Primitias celebrante, cui adstiteri Praepositus S. Dorotheae, et Abbas S. Crucis Robertus, Vesperas vero primas habuit noster D. Abbas Adrianus. Hoc tempore jam tres Praelati Austriaci sunt iubilati sacerdotes, scilicet primus Abbas Monseratensis Benedictinus, Abbas Campilliensis, Chrysostomus Cisterciensis, et hic Ernestus Canonicus regularis S. Augustini: quod rarum quid est.

Hac septimana et praeterita scilicet in Novembri multae naves et rates hic transierunt onustae tormentis bellicis, quibus usi frustra sumus in obsidione Pragensi, plurima tamen manserunt Lincii.

E novis Gallicis: Generalus Sueciae ob fugam exercitus sui imo reditum probrosus accusati a Rege Suecorum et Senatu excusant se propter militum suorum maxime Finlandicorum ignaviam, et quod rex et Senatus illis praeceperit, ut tantum defensive se habeant contra Russos. Stokolmii Satyrae contra hos Generales erant editae. In Anglia ortum universale gaudium, quod Rex Sueciae a Rege Angliae per suum Legatum petierit, ut ageret causam suam et Regni apud Imperatricem Russiae, atque ita, Gallorum Rege rejecto, in Angliam opis causa confugerint Succi.

Roma: Cardinalis Quirini ex Ordine nostro Episcopus Bresciae edidit epistolam pastorem ad suos Dioecesanos optime scriptam. Idem scripsit epistolam ad Papam Benedictum XIV, quae ei ita placuit, ut dixerit, ejus pennam in scribendo auream esse, os elegantius et eruditius.

Bavari Romam ad Cardinalem Borghese scribunt, in incendio Chambensi a nostris Banduris excitato multos Ecclesiasticos et 12 Franciscanos fuisse occisos, idque factum Romae vehementer improbatum fuisse. Id tamen esse falsum, ex aliis relationibus tum scriptis tum vocalibus constat.

Vienna scriptum, Nostros in Bohemia 56, alii scribunt 30, currus cum victualibus et bobus, qui trahebant currus perdidisse introductos Pragam cum aliquot captivis nostris. Item apud Falkenau in Bohemia nostrum Menzlium subito fuisse invasum a Gallis, sed tamen fuga cum suis elapsam, et in hac fuga meliora sua impedimenta et res hostibus reliquisse. Quod ipse Menzl ejusque homines hic Mellicii nobis narrarunt. Item Berolino scriptum, Maillebois ducem exercitus Gallici tribus de causis

e Bohemia abiisse, 1. quod non nisi ad 15 dies annonam habuerit, 2. quod e Saxonia, uti sperabat, non acceperit annonam, 3. Austriacos nostros ita se versus illum collocasse, ut impeti ab eo non potuerint. Galli in Bavariam redeuntes occupant Stadt am Hof, et Monasteria S. Magni, Franciscanorum, et Hospitale incolunt. Ingens querela rusticorum ob eorum adventum in Bavariam, et destructionem agrorum seminorum, et quod militibus dare debeant pabula sua, quibus sua peccora per hyemem alere potuissent.

E novis Viennensibus: In Belgio Austriaco Angli, Hannoverani et Hessi unacum nostris militibus hyberna occupant, cum Rex Angliae contra datam spem non transierit in Belgium, nec operatio bellica hoc anno suscepta sit. Generalis de Gaysruk cum prima parte exercitus nostri iterum in Bavariam intrantis, transit Danubio apud Niederaltaich absque ullo impedimento Landavium unica die occupat, et ejus praesidium numero 550 capit, frustra et sero Bavarico succursu veniente. Id factum 12. Novembris. Die 13. ejusdem mensis comes de Khevenhiller cum dimidia parte exercitus versus Landau et Landshut pergit, ut liber nobis esset transitus super Isaram. Princeps Carolus Lotharingicus cum altera parte idem intendit apud Oenum fluvium. Nostri in Bohemia transita Moldavia Pluchowiz, Brechowiz, et per Brandeis in veterem Bunzlau venere. Galli magnam partem impedimentorum suorum, quae habuere in Bohemia, ultra Rhenum transportant. Norimberga scriptum, Gallicum exercitum ingentem vim annonae in Franconia coemisse, in Bavariam deportandam. Noster Trenk cum Banduris Neuburgam in sylvam sitam in Palatinatu superiori incendunt, quod contributiones solvere noluerint. 1200 Hussari nostri apud Altheim prope Braunau existentes inde fugiunt, advenientibus 2000 militibus Bavaricis a Sekendorffo illuc missis, et relicta in campo victualia hostibus cedere coguntur, etiam 32 eorum captis, ut scribunt Bavari. Item quod Kazenberg arcem Bavariae etiam nostri Hussari fugantur, et quidam occiduntur, quidam vulnerantur, unus e vulneratis cum Menzlio ad nos veniens mihi locutus est, se a quodam iaculatore ibi fuisse vulneratum.

Milites Hannoverani et Hessi maximam partem Episcopatum Leodiensem intrant, ibidem hiberna facientes, contra quod conqueritur Episcopus apud Gubernatorem Belgii, qui illum remittit ad Reginam nostram, vel Regem Angliae. Ex Hubertsburg in Saxonia scriptum, Mareschallum Broglio cum duobus filiis suis et magno comitatu ad Regem Poloniae Praga venisse, indeque transiturum in Bavariam, et exercitum Gallicum recturum loco Mareschalli Maillebois, interim Mareschallo Bellisle Pragae relicto, et ad sex menses milite et annona sufficienter proviso, ut aiunt. Idem e novis Viennensibus scriptum Ratisbona: 16. Novembris certo Ratisbonam venit sumpto hospitio ad S. Magnum in Stadt am Hof et factus Generalis commendans exercitus Gallici, et Maillebois iussus est ire in Galliam a Rege. Dux de Aremberg, nostri exercitus in Belgio dux, in Angliam se confert et a Rege amantissime excipitur, qui primo intuitu cum manu prehensum

sic alloquitur: Estisne vos Domine Dux, credebam vos in Flandria visurum, sed plurimum gaudeo, quod hic apud me vos intuear. Rex in intimo suo conclavi per horam cum eo locutus est. Galli muniunt Stadt am Hof, pars quaedam Danubium transit Passavium, ut fertur, oppugnatura, vel certo Monachii hyberna factura, vel in Austriam penetratura. Noster vero exercitus undique se illis opponit, etiam in adiutorium acceptis Tyrolensibus et superioribus Austriacis.

E novis Viennensibus: Gallis apud Dingling Isaram transeuntibus exercitus noster in Bavaria, relicta Landaviensi urbe aliisque locis usque in Scharding 21. Novembris descendit. Bavari Braunam mirifice muniunt. Grandis penuria in exercitu Gallico rei annonariae. In Bohemia nostri e Gallis Praga egressis 88 capiunt, alios caedunt, et vulnerant, atque in Moldavam praecipitant. Galli Bohemici adhuc Brandeis et Leitmeriz obtinent, contra quos Lobkowiz copias mittit, et eos cum locis dictis capere parat. Galli quoque in Bohemia provisionem in annona Pragam importare cupientes a nostris impetuntur et eorum 8 occiduntur, 35 vero eorum cum multis curribus captivantur et in Alt Bunzlau adducuntur, Gallis se cum desperatione defendentibus. Rex Sardiniae in Sabaudiam et quidem Campriacum cum parte sui exercitus redit, reliquae copiae ultra Montmelium adversus Hispanos excubant. Philippus, Infans Hispaniae, Gratianopolim sanitatis causa abiit Mannheim 13. Novembris scriptum: Impedimenta Gallica sub magno comitatu ultra Rhenum transferunt, et Generales plures et magni Officiales Gallici ex exercitu suo Bohemico huc veniunt et per Landau in Galliam abeunt, Saxones in 4 partibus terrae suae milites collocant, ut impedirent ab introitu Gallos. Item Dresdenae prohibetur civibus, ne Gallis hospitium concedant sub poena 10 Imperialium, nisi schedulam ab eorum Duce subscriptam ostenderint, et qui ibidem erant, jussi sunt exire cum Pass-Port. In Saxonia quidam venator aquilam von einer ungemeinen Grösse sclopeto trajecit. In Bavaria Galli magna tormenta sua et impedimenta Ingolstadium mittunt. Comes de Saxonia dicitur se conjuncturus cum 10.000 Gallis sub comite Sekendorffo, et Braunau civitas Bavariae cum 3 retranchement munita dicitur subitura a nobis obsidionem.

18. Novembris. Filius Principis Lobkowizii, Commendantis nostri in Bohemia, Viennam venit a patre missus, qui nuntiavit, a nostris urbem Leitmeriz, in qua 800 Galli cum optimo Magazino inerant, captam esse, et Gallos captivos belli factos. Et postea Galli Teschen nostris cedunt, adhuc habentes locum Prandeis. Lista victualium ibi a nostris acceptorum publicata est in novis Viennensibus.

In festo S. Andreae 1742 Reverendissimus noster D. Abbas Adrianus Rector Magnificus Universitatis Viennensis creatur.

7. Decembris. Comes de Königsek Generalis, qui hoc anno constanter per modum consilarii Principi Lotharingiae Carolo adhaesit e Bavaria Mellicio per Postam transit Viennam. Generalis Helfreich cum Croatis aliisque militibus civitatem Laufen Salisburgensem occupat, ut

Bavaros in officio contineat, iidem Bavari (ut ex litteris mihi Gemunda scriptis habeo) Duce Sekendorffio per agrum Salisburgensem tentant Salinas nostras invadere, a nostris propterea summe munitas, sed a Salisburgensi Archiepiscopo prohibentur. Capitaneus Menzl diem 8. Decembris subsequente nocte per Postam celeriter Mellicio in Bavariam abiit, nescio qua de causa. Mellicii dictum fuit ab eo, ut audivi, eum audientiam a Regina nostra non potuisse impetrare, et iussum, ut ad exercitum nostrum in Bavariam redeat. Ferunt id eum nostro Postae Praefecto clam confidisse.

Stokolmio scriptum, Status Suecicos unanimiter elegisse Ducem Holsatiae, consanguineum Regum Suecicorum in successorem Regni Sueciae, idque factum, ut facilius pacem obtineant favorabilem apud Imperatricem Russiae.

Comes de Khevenhiller ex Monasterio Allerspacensi abiit in Decembri, et in Comitatum Ortenburgensem cum suis recessit, magis defensurus contra Gallos et Bavaros urbem Passaviensem, in qua omnia militibus nostris plena esse scripsit ad nostrum Stadler notus mercator Rosenzweig, qui et addidit, nostros Officiales Passavii graecari, hellari, ludere, scortari, quasi hostis non esset in propingno. Proh dolor! Item e novis Viennensibus, exercitum nostrum sub Duce Carolo Lotharingico jam pluribus diebus habere suum Hauptquartier in Monasterio Ranshofen, Ordinis Canonicorum Regularium, qui obsidere instituit Braunau, et ex fomentis feurige Kugeln in urbem misit, ex quibus sub noctem, diei 5. Decembris media urbs flammis correpta est, hoste inter pontem et molendinum papiri excurrente, et a nostris grande Magazinum ex injectu globorum igneorum in cineres redactum est, jamque milites nostri parati sunt ad assultum in urbem faciendum, sed audito, quod hostis cum magno succursu adveniret, redire jussi in castra, cum autem fama praedicti succursus falsa esset, iterum nostri ad Braunau oppugnandum accessere.

19. Decembris. Princeps Carolus Lotharingiae e Bavaria Viennam rediit. Mellico pertransiens et 16. ejusdem mensis D. de Menzl iterum e Bavaria profectus hic Mellicio Viennam abiit, qui narravit, multes diebus in priori descensu se apud Reginam nostram audientiam habere non potuisse. Idem Viennae quandam Domicillam de Regental duxit in uxorem. Generalis Minuzzi, Commendans in Braunau, a Sekendorffio petiit annonam et milites, cui is circa 20 naves cum annona et militibus in auxilium misit, sed ii a nostris Hussaris, Croatis et militibus in Oeno descendentes pessime per tormenta et sclopeta accepti sunt, plurimis eorum navibus cum hominibus in Oeno submersis.

10. Decembris. Distributio hybernorum nostri exercitus in Bavaria ita facta est, ut 3 regimina in Scharding, ubi et Comes de Khevenhiller suum Hauptquartier fixit, 7 regimina in Passau, alia in Bohemia apud Krumau, alia versus agrum Salisburgensem collocata fuerint. Exercitus Regis Angliae haecenus in Belgio existens mandatum accepit ab eo, ut in Germaniam in auxilium nostrae Reginae concedat. Mira rei conversio! Quid hoc portendat? E novis Viennensibus: De Lissau in Bohemia

scriptum utpote e loco des Hauptquartiers 19. Decembris: Gallos aliquot mille cum aliquot tormentis et 200 curribus egressos e Praga, relictis in urbis praesidium 1000 praeter infirmos milites, nostri dicuntur eos insecuti. In novis Gallicis dicitur, Bellisle nocte diei 16. ad 17. Praga egressum cum 14.000 suorum, relictis in urbe Praga 6000 suorum et Bavarorum. In Moschoviensi urbe Archiepiscopus Novogrodensis susceptus 18. Novembris 1742 Professionem fidei, seu religionis Graccae de manibus Ducis Holsatiae, postea dictus Petrus Freodorowiz in baptismo, postea ab Imperatrice Elisabetha Moscoviensi in successorem suum declaratus cum titulo Celsitudo Caesarea et Magnus Princeps Russiae. Hic Dux fuit nepos Imperatricis ex sorore Annae Petrownae, et proximus consanguineus Imperatricis Elisabethae fere 15 aut paulo plus annorum aetatis suae. Haec quomodo conveniant cum eo, quod idem Dux electus sit a Suecis in Regem Sueciae, tempus dabit. In vigilia Nativitatis D. N. J. Ch. ille homo, qui propriam prolem interfecit, et hic per tres fere menses incarcerationatus fuit, liber dimissus fuit absque omni poena, propterea, quod iudicantibus nostro et Hippolitano Medicis, quibus ab Excesso Reginine commissum fuit, homo ille hoc homicidium in amentia patravit. Mirum!

E novis Viennensibus. In Decembri: Centurio Tranquini e legione Principis Lotharingae Caroli Viennam venit cum relatione, quod nostri milites in Bohemia Gallos Praga egressos assecuti sint in via versus Karlsbad, eorumque totam quamdam legionem Kürassire in frustra concederint, multos peditum eorum captivarint, et 5 vexilla, Standart cum uno pari tympanorum, praeter multa impedimenta iisdem abstulerint, multos quoque Gallos in curribus frigore mortuos fuisse, et ab egressu Gallorum e Praga 700 hostilium militum ad nos defecisse. Paulo post scilicet 29. Decembris alius cursor publicus e Bohemia veniens laetum nuntium attulit, Pragensem urbem se Reginae nostrae dedidisse. nimirum 29. Decembris 1742. Filius natu major Principis Christiani de Lobkowitz cum 6 postilionibus, et 2 Postae Magistris Viennam ingressus nuntium jucundissimum Reginae adtulit, Pragam a Gallis sub capitulatione nostro Principi exercitus nostri Bohemici deditam his conditionibus, ut Galli praesidiarii parvo numero cum omni honore ex urbe descedant 2 Januari 1743, relictis omnibus tormentis bellicis et militibus infirmis, qui plurimi erant, factis captivis. Quod et factum. Prior pars Gallorum ex urbe fugientium, ut paulo supra dictum, cum Mareschallo Bellisle ut plurimum perit, partim a nostris insequentibus caesa, capta, et partim frigore aliisque incommodis affecta et in fuga in campis morari debent. Ex hic est exitus Gallorum in Bohemia.

Ceterum illi adhuc Egram tenent, et probabilius hi fugitivi et dimissi eo contendunt. Ingens gaudium propterea inter Viennenses, tum vulgum tum nobilitatem. Altera die 30. Decembris habitum sollemne Te Deum laudamus propterea in Ecclesia Cathedrali ad S. Stephanum, praesente Regina, ejus conjugue et tormentis in moeniis omnibus tonantibus. Deo gratias.

E novis Viennensibus: Galli in Bavaria ob multos infirmos suos trans Isaram abiere et, ut fertur, Braunau civitatem reliquere. In Ingolstadt et Amberg in Palatinatu superiori intra 10 dies ad 1000 eorum obiisse dicuntur. Certe Amberga propter mortalitatem Gallorum et Palatinorum clausa dicitur.

E novis Gallicis: Nostri ad adventum Sekendorffii cum suis militibus deserunt Lauffen Brunovio scriptum 4. Decembris: Hora 12. noctis Princeps Lotharingiae Carolus, postquam impedivit invectionem victualium, ultra 200 Bomen et ad 300 igneos globos in Braunau iniecit, unde 60 domus igne consumptae sunt, altera die discessit ab hac urbe, metu advenientium Gallorum cum Sekendorffio. Galli cum Bavaris hyberna sua in Bavaria faciunt. Moschovia ex urbe scriptum, Ducem Holsatiae recusasse electionem sui in Regem Sueciae, eamque Friderico Landgravio Hassiae fratri moderni Regis Sueciae cessione, idque ob hanc causam, quod vi testamenti a Katherina Alexiewna, vidua Petri Magni, et primi Caesaris Russorum, nemo possit imperare Russiae, nisi fecerit professionem fidei Graecae apud Russos receptae, et si non habeat aliud Regnum actu in manibus. Quae res novas turbas in Suecia excitabit, ut ex sequentibus patebit.

In die Epiphaniae 1743 Officiales et milites Artilleristae partem tormentorum, quae obsidendae Praegae adhibita fuerunt, Mellicio in alia loca in terra perducunt, sua hyberna in Langenlois et ejus vicinia habituri. Ante hos dies Prussi et Gallici milites, qui ex desertoribus in servitia Reginae transierunt, et missi sunt ad Bavaricum nostrum exercitum in nostra vicinia in suis Quartier graves excessus commiserunt ita, ut rusticos etiam graviter caederent, et non contenti victu etiam pecunias ab illis extorsere. Heu! Heu! Ipsii iterum feruntur una die ad 40 militum nostrorum sepulti ibidem mortuorum.

(Continuatur.)

Beiträge zur Geschichte des Benedictiner-Reichsstiftes S. Emmeram in Regensburg.

Regesten zur Geschichte der S. Emmeramer Propstei Böhmischbruck.

Mitgetheilt von W. Schratz, k. Regierungs-Registrator, Secretär des historischen Vereins in Regensburg etc. etc.

(Schluss von Jahrgang VIII, Heft IV, S. 577—589.)

Zu den vorstehenden Regesten habe ich ausser ein paar Notizen noch drei weitere Urkunden gefunden, welche in Nachstehendem unter Nummer 23^a, 42^a, 78^a ihrem Inhalte nach kurz mitgetheilt werden. Bezüglich des Ortes und der Pfarrei Böhmischbruck wäre noch Folgendes aus der Regensburger Bisthums-Matrikel von 1863 nachzutragen:

Die ganze Pfarrei zählt circa 1150 Seelen; eingepfarrt sind: Dorf Altentreswitz mit St. Matthiascapelle, Einöden Burgschleis